

*Consilia & gubernationem Rerump., Ecclesia & Scholarum præindigenis ferè adhibentur.* Idem in *Orat. de Westph.* apud *B. Joh. Goes in Variis de Westphalia Opusculis,* p. m. 16. *Multos doctrinâ & virtute excellentes Ecclesia & Rerump. gubernatores peperit natio Westphalica, qui demonstrant ingenia Westphalorum ad literas, ad disciplinam, ad virtutes, ad doctrinam, ad alias honestas artes idonea esse.* *Joh. Caselius in Memoria Nic. Goniæ,* Westph. apud eundem *Goes l. c. p. m. 183.* -- *Transvesera tellus alexis clara virum, dextrâque animoque valentum.* Idem in *Epist. ad Joh. Reccium,* ibid p. 172. *Et ipsè Westphalos viros doctissimos noveram sanè multos & celebrari audieram plures, è quibus erant præcipui & memoria consecrandi, si quis scribendo tantum valeat, &c.* *D. Joh. Quistorpius in Progr. fun. quò ad exequias Herm. Schillingio,* Consuli Rost. cundas 1621, cives Acad. invitavit, ità: *Hunc amplissimum & prudentissimum, quem nunc lugemus, virum, Westphalia magnorum Virorum parens dedit.* *Fac. Jurid. in Progr. fun. D. Ern. Cothmanni 1624.* *Westphaliâ adpellat ingeniorum optimorum genitricem & efformatricem fertilem.* *Magnif. Dn. D. Fecht, in Progr. fun. Joh. Chr. Hufvedelii 1702.* *Westphaliâ (infit) cum nomine, eam me innuere Provinciam cuncti intelligunt, qua & ubere Virorum in omni eruditionis genere proventu semper fecunda fuit & huic ipsi Patria nostra & olim celebrem Cothmannorum & hodie Redeckerorum gentem protulit.* Imò si elogiis Doctorum Virorum contenti esse iniqui illi censors nolint, excutiant ipsi, licet, Westphalos, quorum universa Germania, ne dicam tota penè Europa, maxima celebrat merita, visuri, an unquam eruditione, doctrina meritisque ab ulla gente victi fuerint, quos inique traducunt. Occurrent *Roslevinckii, Glandorpii, Rivii, Bonni, Nessenii, Wihones, Wunibaldi, Hegii, Murmelii, Langii, Heistermanni, Goeddei, Deichmanni, Goelenii, Goltzû, Witkindi, Dorstenii, Bontii, Freitagii, Perizonii, Michaëles, Vesalii, Lindershausii, Bachovii, Sleidani, Barlæi, Sturmii, Meibomii, Puteani, Ummii, Emmii, Gochausii, Velstenii, Heringii, Portmanni, Leonclavii, Domanni, Buxtorfii, Schrackmülleri, Gryphian-dri, Olearii, Klockii, Junii, Boschii, Sedulii, Angeloeratores, Polyandri, Altingii, Fabricii, Widmarii, Hufenii, Oemichii, Hamelmanni, Reinecii, Conringii, Nicolai, Hülsemanni, Feurbornii, Scheibleri, Botfacci, Friedlibii, Hannekenii, Sandhagenii, Wiemanni, Schurtz fleischii, Fuhrmanni, Kleinschmidii, & quis numerare omnes valebit? Neque ipse nunc acturus id sum, ut omnium eorum, quas, vel ipsa invidia teste, meruere, laudes concelebrem. Eos commemorare duntaxat placet, qui de Acad. Varniaca optime sunt meriti, quorumque memoria Rostochiensibus non nisi grata esse potest. *Utpole in Sectione Theol. Jo. Affelmannum, Steph. Clorzium, Jo. Cothmannum, Til. Hesbusium, Eilb. Lubinum, Jo. Christoph. Ottonis, & Jac. Dursfeldium.* In Sect. Jurid. *Ern. Cothmannum, Thom. Lindemannum, Henr. Rud. Redeckerum, Christoph. Redeckerum, Henr. Schuckmannum, Eliam Perottum & Theod. Varenmejerum:* In Sect. denique Phil. *Henr. Arsenium, Jo. Bocerum, Arnoldum Burentum, Herman. Buschium, Bernh. Gosmannum, Conr. Schlüsselburgium, Mart. Trostium & Henricum Welpium.* Haud tamen, *Lector!* in exigua hac opella offendes, quæcunque de iis dici poterant, omnia. Delineata tantum eorum Tibi merita sistentur, vitarum perbreves ex authenticis tamen, quantum fieri licuit, Programmatibus, servatis quandoque ipsis eorummet verbis, collectas leges descriptiones. Scripta non nisi quoad inscriptiones & editiones relata videbis. Uberiorem namque eorum dare recensionem Speciminis Academici limites prohibent: à qua etiam eò lubentius abstinui, quoniam isthoc in negotio *Cl. Dn. Præsidentem, Vitas Professorum Rostochiensium* plenius descriptas aliquando daturum, occupatum novi. Interim hoc quicquid est operis mei ut, quisquis fueris, *Lector!* æqui bonique consulere digneris, est, quod majorem in modum abs Te contendo. Sect.*